

Dodo Osnabrugensis Episcopus, Richouvvo Wormatiensis Episcopus, Rich-
vinus Stratburgensis Episcopus, Unvanus Paderbornensis Episcopus,
cum Abbatibus aliisque sacri ordinis hominibus quamplurimis. Fallitur
igitur Jvo, dum ad annum 912 haec refert, quo simul errore Baro-
nius & Binius abducti. Octo hujus synodi canones colliguntur
ex Burchardo, & Jvone, à Cossartio in conciliorum tomis relati,
ad disciplinam cleri populique accurandam; quos inter primò de-
cretum, ob vaga incestaque matrimoniatum invalecentia, ne Chri-
stiano fas sit intra septimum gradum cognationis contrahere nupti-
as: ne laici fructus sacrarum donationum convertant in canes &
Gynæcea alenda: ne Ecclesiæ Monachorum intra diœceses Episco-
porum subtrahantur Episcoporum jurisdictioni, & quæ præterea
salubriter statuta sunt, judicio duorum Archiepiscoporum ac præsu-
lum ceterorum. Verisimile est & ipsos Reges Carolum & Henricum
cum optimatibus convenisse simul Confluentiam, ad foedus & ami-
citiam firmandam; quod per id tempus Giselbertus dux, homo
inquietus & regnandi cupidus, multa turbaret ad Lotharingiam
sibi asserendam; quam ut Reges, Episcoporum auctoritate, & pacis
studio diviserant: Ita eorum quoque auctoritate, quod primi cole-
rentur inter optimates Regni, firmatam volebant. Transactis cum
Carolo rebus, Henricus Rex arma vertit in Sclavorum sævitiam re-
frenendam; eò multum intra Saxoniam versatur; quod & regni Ger-
manici sedes, quæ hactenus Aquisgrani, vel Wormatiæ, vel Fran-
cfurti, vel Ratisbonæ, vel alijs in locis fuit, transferri cœpit cum Sax-
oniæ Regibus ac Imperatoribus. Quemadmodum hoc anno Qued-
lenburgi fuit, in loco, quem ipse Rex postea Oppido & Monasterio
Virginum à se condito celebrem fecit, imposita Machtilde filia pri-
ma ejus cœtus Abbatissa. Ex hoc loco Henricus Rex Corbeiensibus
nostris præclaro diplomate vetera privilegia confirmavit, quod hic
inter munificentia ejus ac pietatis argumenta repræsentamus.

Henricus
privilegia
Corbei-
ensium
confir-
mat.

In nomine sanctæ et individua Trinitatis, Henricus divina favente
Clementia Rex. Convenit nostræ regali Celsitudini, ut petitiones fidelium no-
strorum, has præcipue, quas pro Ecclesiarum sibi commissarum utilitatibus
suggerunt, ad effeclum perducamus, quoniam hoc et ad presentem vitam pro-
spere peragendam, et ad futuram beatitudinem promerendam profuturum
liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium nostrorum, tam presentis,
quam futuri temporis industria, quod rogatu conjugis nostræ Domnæ Reginæ
Machtildis, una cum prole et æquivoco nostro, nec non Episcopi Adalwardi,
qui legatus fuit ad nos missus ab abate venerabili Folcmaro fratribusque
christo in nova Corbeia militantibus, et SS Martyribus nostris advocatis et
intercessoribus Stephano atque Vito fideliter servientibus, omnes concessiones,
quas priorum Regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco, id est, prædicto
abbati et fratribus concessimus. Præcipue ut potestatem habeant inter se cum
necessitas